



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

10. De iudicio fidei Christianæ, à Catholicis simul & hæreticis ad arbitrium martyris Euphemie defunctæ relato, quæ per illustre miraculu[m] hæretica prauitate reiecta, orthodoxorum sente[n]tiam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

dum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam ulterius presumpserunt catholica loca temerare. Miro enim modo res gesta est, ut quia eiusdem Ariani causa lampades in Ecclesia beati Pauli fuerant extinctae, vno eodemque tempore & ipse lumen perderet, & in Ecclesiam lumen rediret.

Nicephorus Callistus lib. 15. cap. 4. & 5. Eccles. historia. De iudicio fidei Christianae à Catholicis simul et hereticis ad arbitrium martyris Euphemia defunctae relato, qua per illustre miraculum heretica prauitate reiecta, orthodoxorum sententiam approbat.

C A P. X.

IN sacro S. martyris Euphemiae delubro, cui Synodus apud Chalcedonem contra Dioscorum & Eutycheten congregata esset, magnaque de duabus in Christo naturis disputatio excitata esset, (inexpugnabilis namque & contentio & pertinacia in expugnabilis) cõtentiois maximè studiosa improbitas est) Spiritui sancto, & egregijs illis, qui conuenerant viris placuit, ut decretum fidei in libello describeretur, & controuersiae iudicium atque decisio laudatissimae martyri & virgini Euphemiae committeretur. A maioribus illa suis, cuius & alumna urbis Calcedonenfis fuit. Sub impio autem Diocletiano, pro detestandi cuiusdam praesidis tribunali consistens, Christum Deum esse, & Dei filium clara voce predicauit. Quapropter plurimis primum cruciatibus excarnificata, & bestiis tandem obic-

obiecta, certamine pro Christo peracto, corona
 nam recepit, & diuinum corpus eius inte-
 grum & incorruptum asseruatum apud Eccle-
 siam Calcedonensem marmoreo tumulo re-
 positum est, talia edens prodigia, qualia paulo
 ante commemorauimus. Itaque immaculato,
 & sacro corpori eius veluti sincero iudici, or-
 thodoxi & rectam sententiam obtinentes, si-
 mul & qui aliter opinarentur, fidei suæ arbi-
 trium committentes, vtrique seorsum fidei
 formulam in libellum suum relatam, & char-
 tam vtramque clausulis ac sigillis obfirmatam,
 ad martyris pedes deposuere. Et nocte proxi-
 ma precationibus consumpta, postridie vene-
 runt, & monumenti operculo remoto specta-
 culum nouum rectoque iudicio dignum con-
 spexere. Nam orthodoxorum recteque sentien-
 tium libellus perquam tenaciter victricis il-
 lius martyris manibus continebatur: alter au-
 tem tanquam res vana & nullius precij, teme-
 re ad pedes illius proiectus iacebat. Postquam
 vero post cœlestem hunc calculum adhuc im-
 pudentia contra veriore fidem pugnaret,
 condemnatio amplius etiam vt valde legiti-
 ma confirmata est: & qui decretis Synodi con-
 sentire noluerunt, in ignominiam & probrum,
 à Deo & hominibus sunt consequuti. Hæresis
 ipsius dux Gangram exul abductus est. Qui aut
 à Dioscuro condemnati, proscriptique fuerant,
 de Synodi sententia, & Imperatoris consensu
 reuocati sunt.

Cbri.